

...tias
...Thomae Ioan. Cant. Conclusio theologicus honor.

CONCLUSIO THEOLOGICUS HONOR,

Ex Præmissis

SAPIENTIA & MERITIS,

PERILLUSTRIS & Admodùm REVERENDI DOMINI,

D. M. MATHIÆ ZIĘTKIEWICZ,

S. Theol. LICENTIATI, ejusdemq; Controversiarum PROFESSORIS, Ecclesiarum Collegiatarum; S. FLORIANI ad Cracoviam DECANI, Cureloviensis SCHOLASTICI, Parochialis Zarnovecensis PRÆPOSITI, Contubernij Geloniani PROVISORIS,

ILLATUS;

dum à

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO.

D. M. MARTINO WALESZYNSKI,

S. Th DOCTORE & Professore, ejusdemq; Facultatis DECANO, Collegij Majoris Seniore Patre, Ecclesiarum; Cathedralis Crac: CANONICO, Montis S. GEORGIJ in Scepusio & Premykoviensis PRÆPOSITO Contubernij Hierosolymitani PROVISORE, Canonizationis B. JOANNIS CANTIJ PROCURATORE, Librorum per Diœcesim Cracoviensem CENSORE, Studij Generalis Universitatis Cracoviensis PROCANCELLARIO,

Præsente florentissima Magnorum Hospitum Corona,

S. Theologiæ DOCTOR,

in Ecclesia Collegiata D. ANNÆ

ritu solenni crearetur & renuntiaretur,

a M. THOMA JOANNE CANTIO CZYRNICKI

Philosophiæ Doctore & Professore,

in forma devinctissimi obsequij

REASSUMPTUS.



Annô, quô

Magna Deô ConCessa tenaX paX eXIt honorIs.

Typis Collegij Majoris Universitatis Cracoviensis.

CONCLUSIO THEOLOGICVS HONOR,
ex Præmiſſis Sapientia & Meritis ILLATVS.

Exeſte minùs prudentes Philoſophi,
mirari non argumentari nati,
vim & naturam ſyllogiſmi ignorantes,
illegitimè Concluſiones formatis,
qui Honorem aliunde non ex Sapientia & Meritis
Præmiſſis infertis.
Submittit ſe aliquando ſuâ ſponte Honor,
hoſtis indolem præſeferre videtur,
victas & vinctas porrigit manus, victorem tenet,
mancipium ſe ſimulat, comprehenſorem in compedes ſtimulat.
Sanè Antæi ſunt Honores, qui cadendo fortiores ſurgũt,
& non unum defatigant Honorium,
timendi ſe pro donis ferentes.
Omnino neſcit Honor diu turpiter obſequi,
ignis ſubterranei ingenium induit,
qui inclinationîs conſcius rumpit repagula terræ,
humile & abjectum pertæſus dominium.
Servit coronatis monſtris Sardanapalis,
ſed nonniſi ad tempus,
ut in æternam ſervitutem abducat,
qui velut ſcintilla latendo
rogum ei contumelioſum accendit,
malè ardentem flammîs extingvit.
Novit extra Peripatum Sophiſmata,

ex appa-

ex apparentibus Præmissis velut colorata sistitur iris,
majoris tempestatis quàm malaciæ præstigiatrix.
Abeunt multis lac & sangvis in Præmissas,
sed quàm firmas, se ipsîs testantur.
Scribunt privilegia pro Magistratibus,
non semel erubescentes, si minùs idoneos inveniant Candidatos.
Sunt similia Præmissæ non inficior, sed probabiles,
ex quibus certò Honores nequeunt deduci,
Sola Sapientia & Merita cui adstipulantur,
apodicticum censenda argumentum.
Hæc prima & immediata principia sunt,
notiora, communia, & causæ cujusq; Honoris.
Si vim roburq; alia habent,
intuitu horum firma censenda :
Misera est hæreditas quæ non fulcitur virtute.
Ruunt graviori casu incunabula,
si talibûs non nituntur basibûs,
lacerantur infantiles Fasciæ,
quæ non superponuntur similibus culcitris.
Fluentes lacrymæ in gemmas Regij
non degenerant Diadematis,
sine speciali cooperatione virtutis,
aut dum in sapientiæ non influunt mare.
Lentulus est quisq; ad Honorem,
Celerinum nequaquàm agere potest ;
cui virtus calcar non addit.
Testudo non Mercurius,
si à Sapientia non mutuatur talaria.
Non maturescit Regni Pomum ,
sine incalescente Scholastico Phæbo.
Apricantē serenô oculô nequit intueri Coronæ fulgorē,
qui ab eruditis non resilit fontibus,
sit Ganimedes, Honoribus placere non potest,
si iîsdem non bene lotus.
Ipsi Calculi tantùm sine meritis valent,
quantùm sine nummis,

 nomi-

nomina ſine ſignificationibus.
Mutæ ſunt quanquam ſtentoreæ voces,
quæ non animantur virtute,
diſſonæ abſq; hujus conſonantia.
Rumpuntur deſideriorum vota, quæ Sapientiâ & Meritîs
non uniuntur:
parum aut nihil valent, absq; hac inæſtimabili unione.
Verbô:
admitto ſucceſſionem, rationem Præmiſſarum habere,
hîs prodromantibûs,
Electionem non excludo,
inſtantibûs meritîs.
Singulos dominij acquirendi amplector titulos,
qui per has infallibiles probantur regulas.
Regulenturne ipsîs cuncti Honores?
alijs decidendum committo,
Theologicum in medium adduco.
Agit hic Principem inter Honores,
Superarbiter eſt, à cujus arbitrio dependent,
Primus ſine ſecundo, ultimus ſine primo;
Theologicus eſt, ſolum ſcilicet reſpiciens DEVM,
ideòq; ſolô minor Iove,
Sapiensne ſit & virtuoſus?
nulli dubiam trahit ſententia mentem,
qui Theologicum Honorem cerebrô ſummi Statoris natum,
in Cælo educatum, terris munus Cæleſte conceſſum novit.
Sitne ex Meritis? in quæſtionem non cadit,
qui ipſi Iovi noluit ſine vulnere naſci;
quò altiùs hic cæteris præeminet,
tantò profundiùs meritis ſe ſubmittit.
Iliadem in putamen nucis recondam:
non novit Theologicum Honorem,
qui Sapientem, qui emeritum ignorat.
Cognitionem à priori illius non licet aliter venari,
niſi in Sapientiam & Merita eundem reſolvendo.
Differentiæ ipſius eſſentiales ſunt,
Genus proximum ne quæras:

nihil

nihil enim cum alijs commune habet.
adæquata definitio sunt, definiti Theologici Honoris,
ad convertentiam secum omnino dicuntur,
sibiq; mutuò reciprocantur.
Quiquid hucusq; præmissum, locum majoris teneat,
Tu in locum minoris succedis.
sed Meritis & Sapientiâ Maximus
Perillustris & Admodùm Reverende Domine

D. M. MATHIA ZIĘTKIEWICZ,

S. Th: Licentiate, ejusdemq, Controversiarum Professor, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI ad Crac: DECANE, &c. &c.
Factus es Sapientiæ & Meritorum nobilissimum Subjectum,
ideoq; & Theologicæ Laureæ Caput submittas,
concessisti Præmissas, Conclusionem negare non potes.
studuisti enixâ curâ Virtuti, Sapientiæ & Meritis,
Theologicum Honorem nescire non licet.
Duxisti gloriæ esse virtuosum, ergo & esse Theologum.
fuisti diligens eorum studiosus,
Sis igitur & S. Th: MAGISTER.
Dimisit Te Schola Virtutum, Sapientiæ & Meritorum DOCTOREM,
nec Theologica suam Promotionem moratur,
emensus es iter per Templum laboris,
exitus non datur, nisi per fanum Honoris.
Iunguntur hæc sibi quodam indiviso nexu,
quorum si unum admiseris, aliud excludere nefas,
aureæ simillima catenæ.
Potest quidem alibi esse Sapientia absq; Meritis,
Theologo si unum ademeris,
aliud tantùm valet, quantùm materia sine forma.
faciunt hæc divisa beatos,

in Te DOCTOREM *mista fluunt, & collecta tenes.*
Castorem & Pollucem dixerim,
quorum unus post se trahit alium;
Præmissas tamen nominavi, quæ vinculum
inter se servant,
& se vicissim conseqvuntur.
hæc quia in Te pulcherrimè adunâsti,
etiam Theologicam Dignitatem non sejungas.
Quidquid enim à teneris eòusq; egisti,
alterutrum ex his jure quodam sibi vendicat,
Totam vitam Tuam ad Sapientiam & Merita
revocare liceat tanquam ad capita,
quorum quælibet actio membrum est,
suo non dissimile principio.
Obligatæ sunt Virtutes Tuæ Patriæ Terræ,
non minùs debet Theologicus Honor,
quæ Te idoneum ad Coronas fovit.
Ferax Virorum Academicorum Leopoliense solum,
ex quo plures hostis ignorantiæ victores prodiêre
quàm ex Trojano equo milites cataphracti in ruinam Ilij.
Non assentior Pòétæ.
quòd non omnis fert omnia tellus
extra Arabiæ colles evolant hinc nostri Pòétarum Phænices,
citra Dominam Mundi fortes pro Lege & Rege certant Camilli
extra Ægypti Nilum fæcunda ingenia vigent:
& quanquam hæc non essent.
Tu unus pro mille sufficis,
tantumq; Tuæ Metropoli es decus,
quantum Macedoniæ Alexander.
Genere equidem hoc natus,
in quo qui non optimus prodiret, monstrum esset,
hac de Stirpe genitus,
ex qua *quemcunq; requires certum est de Consule nasci*,
respondisti Tuo natali splendori,
Ipse moribûs non obscurus.
monstrâsti bonos ex bonis nasci,
nec imbellem feroces progenerare Aquilas columbam,
Roxolanum Leonem docuisti non posse parere Lepores
de cujus cubili dexter animis oculisq; ades.

Da-

Damnâsti Phaëtontes,
qui cunabula solis inconsultâ temerârunt vitâ.
Vix namq; in acie viventium stetisti,
illico se Tibi opposuêre virtutes,
Tecum certare paratæ,
in quas dum contendisses, omnes invasisti,
Motus cunarum Te eruditis velle videbatur invehere Cathedris,
Incunabulorum vittæ ad Laureas tempora disponebant,
Annibal utiq; adhuc teneram frontem contra Romam caperavit.
Thebanides parvâ manu adultos dilaniabat colubros,
Lærnea hydra jam sibi timere poterat.
ex prænuntia vitæ Tuæ aurora,
in auge Honorum apricaturus inferebaris Phæbus
amæno flore feracem ominabaris autumnum.
Impulisti communem omnium spem de Te conceptam,
quæ adhuc in herba erat, ad maturitatem,
cum ephebus factus votis cunctorum respondebas.
nec indoles Tua par optimis aliud portendebat:
acerbam ætatem dulcibûs demulsisti acroamatibûs,
argutîs condivisti salibûs.
Impuberes annos gravitate in pretio posuisti,
effecisti comitate, ut pueritiæ suus deferretur honor,
dum nihil puerile, præter ætatem habuisti.
Omnium capax, si sola excipias vitia,
quæ patrare, an magis propter annos, an ingenium ad optima
natum non potueras: ad huc tunc temporis non erat compertum;
post hac pro genij parte decidisti rectefactîs.
Gressum, quem movisti, semper de virtute in virtutem.
arenam non aliam excitâsti puer, nisi Literariam,
ludum Tibi aperuisti, sed Scholasticum,
Elementa didicisti, Ipse Literarum alimentum futurus.
Rudimentîs non rudem expoliebas animum
qui aureus cum fuerit, omnis eruditæ capacissimus cælaturæ,
Confudisti sedulâ diligentiâ Condiscipulorum segnitiem,
Invitatas ad Te Musas non languidè tractâsti,
ut olim Pyrræneus:
cujus periculô cautior
nunquam fenestratam in Scholis passus es thecam,
ne alîs instructæ avolarent, non ampliùs redituræ.

Te in apicem Scientiarum enitente,
quis saltim serpere recusâsset.
Omnibus mirari, raris Te imitari concessum.
Erant qui Te exprimere conabantur, non tamen superâre,
sed tantùm, quantùm araneus bombycem,
aut Phæbe Fratrem, à quo lumen emendicat.
Non sic tam multos unus Miltiades excitavit Themistoclas,
ut Tu Pallados Athletas.
qui tentaverunt anteeuntis exempla permulti, æquaverunt perpauci.
Secuturis per ætates studiosis
Te ipsum dedisti & exemplum & miraculum.
Multorum Professorum Discipulus,
omnium exhausisti Sapientiam:
nescitur an plura didiceris, an docueris.
Cum docendo lassarentur, Tu recreabaris discendo,
jocando percipiebas illa, quibûs tandem seriò votereris.
Extra Dodoneam sylvam aut Apollinis delubrum
ænigmatica edisserebas responsa.
Illustrâsti Rhetores Rhetor:
ita tamen, ut proprio fallerentur sensu,
dum Oratorem exprimi posse docuisti;
qualem defenderant vix posse describi.
Subivisti naturæ viscera, prodidisti Philosophiæ arcana,
quemlibet ejus paragraphum impressisti Capiti,
omnem Conclusionem mente conclusisti,
unumquemq; Articulum promptissimè articulata recitâsti voce.
Sanè humanas Artes planè Divinas effecisti.
Parva erat magnitudini animi Tui Metropolis,
Vastam mentem suâ amplitudine capere nequivit,
aliud Regnum cum Macedone quæsivisti;
invenisti Literarium, Teq; vicissim invenit,
quem nunc magnum rerum Academicarum Statorem veneratur.
Cinxit aurea tempora utrâq; Philosophicâ Laureâ,
quæ nunquam emarcida fuêre.
Numero laborantium adscripsit,
utpote non desidem Morphæum.
Disputantibus dum interfuisti,
lites de Te sæpius excitâsti:
in varias abiverunt opiniones,

in fun-

in fundamentis Tuæ eruditionis.
Alij suum cedebant campum,
ut Te diutiùs audire possent.
Sive in superiori, sive inferiori philosophatus Lectorio,
semper Tuô modô, hoc est optimè:
solusq; locus hos distinguebat Actus,
non tempus successivum, cum quo cæteros sapere decet.
In dissimilibus Argumentis semper Tibi simillimus,
sive probando sive opponendo,
quæstioni afferebas lucem,
non ignorans *opposita penes se posita magis elucere.*
Objectiones solvendo nulli debitor extitisti.
Lectiones ex sorte accipiendo MATHIAS
ita ex Cathedra explanabas Professor;
ut nec ipse Philosophus meliùs;
ex textu mentem ejus genuinam,
quasi ex ungue Leonem cognovisti.
Ibas & in Oratorium suggestum non sine gradatione Rhetorica,
Loquebaris sine crimine Orator,
Te nullus sine crimine potuit audire:
equidem illico singuli cogebantur,
vel desperando vel invidendo peccare.
Attico melle in quonam dulcedinem non causâsti,
eruditis salibûs sapidam reddidisti suadam,
verborum lepores nullus venari recusabat.
Pavisti aures humanas,
dubium tamen insolubile reliquisti:
an earum magis acuisti, an mitigasti famem;
cum eas nunquam sine fame dimisisti.
Habes sufficiens dulcioris eloquij monimentum
Monumentum perennis gratitudinis
Celsissimo olim PRINCIPI,
Illustrissimo & Reverendissimo Domino,
D. STANISLAO
à SŁUPOW
SZEMBEK,
C DEI

DEI & Apostolicæ Sedis Gratia
Archiepiſcopo Gneſnenſi,
Legato Nato, Regni Poloniæ & M. D. L.
Primati Primoq; Principi &c.
Arte Oratoria erectum,
de quo, Tua fama, quæ nunquam occubuerat, ſurrexit.
Viret pariter Tua eruditio cum Palma
Gloriæ immortalis
Perilluſtris olim Clariſſimi & Admodùm Reverendi Domini,
D. M. ALBERTI
JODŁOWSKI,
U. J. Doctoris & Profeſſoris, Eccleſiæ Collegiatæ SS. OO. CUSTODIS &c.
doctô Tuô Calamô adumbrata.
Quæ Tui exaſſe Symbolum gerit,
quòd ſub pondere laborũ Academicorum altiùs creviſti,
non erigebas tamen criſtam,
arbor inverſa multo doctrinæ onuſta fructu ima petebas;
maluiſti bonîs artibûs ornare Caput,
quàm ſtruem Capillorum erigere;
ſub qua plerumq; mortua Sapientia creditur,
dum tantus ei tumulus ſuperponitur.
Hæc Tua tantaq; decora reſplenduêre in Academico luco,
ſeipsîs digna oculîs non aliô intermediô ſubintrabant
aſpectum Patrum,
omnium in ſe traxere amorem.
Debet enim amari, qui cuncta odiſſe cupit,
quæ alijs diſplicent.
Myſantrophorum genus intolerabile damnâſti,
quibus nihil eſt bonum, nihil honeſtum.
niſi quod ipſi egerint aut ſtatuerint.
Vitam Majorum Tibi pro regula ſtatuiſti,
Mores Eorum ita in Te effinxiſti,

ut

ut Tu in Illos, Illi in Te commigrâsse viderentur:
anima utiq; ibi magis est, ubi amat, quàm ubi animat.
Errat enim qui tritam Superiorum vestigiis deserit viam,
callem, quô multi illiq; pessimi gradiuntur, eligit.
non est attendenda multitudo, sed qualitas euntium,
ut quâ eunt, ita & qui; bene perpendendum.
Locutus es cum pluribus, sed cum paucis illisq; optimis sensisti.
Iussa Primatum Tibi fas capessere erat ut Divina,
quos in loco DEI reveritus & veneratus.
Hâc cohærentia junxisti affectus,
nec in eligendo Contubernij Hierosolymitani SENIORE divisi,
cui præfectus, hæc pro munere egisti,
quæ nisi optimi solent.
Commissos Tuæ curæ Alumnos sic rexisti,
ut nemo meliùs.
temporis præcavebas jacturam,
quæ per negligentiam venit,
Tuâ sedulitate pretium inculcando.
Florem juventæ impellebas in profectum,
otium procul amandando,
ne illum marcescere faceret
adversam improborum reprimens Æoliam.
svaviter id, cum efficacia tamen persvasisti bonum,
hoc primam imitatus Causam:
indignum animo Tuo reputans
per violentiam extorquere, quod benevolentiâ impetrari potest.
Nôsti bene idem Iuventuti ingenium esse, quod tenellis plantis,
quæ dum subitò in rectum detorquentur, franguntur,
ingenuæ mentes duci volunt non trahi,
& quæ durantur ad aspera, mollibus obseqvuntur.
Nec immeritò,
Melior est ars animis imperandi benevolentia,
plerumq; peragit tranquilla potestas, quod violenta nequit.
Hæc prudentia etiam ab invidis non potuit non æstimari,
quos non vitium, sed Tua fecit virtus.
Collega Minor Vocatus,
qui esse meruisti.
Præmisisti Merita maxima,
Non mirare, quòd Collegiô Minorî coronentur.

in Tui favorem factum,
ut possent dignosci,
Nanus utiq; penes Porphyriona meliùs visitur,
Phæbus inter minora phenomena Principem agit,
Colossus ad humiliores obeliscos eminet,
Cedrus in Libano si foret alijs similis,
pulvinaria Deorum non exornaret,
in focis fama ejus suffocaretur.
Non diu Minor Domus Te maximum tenuit Incolam,
Regio-Iagellonianum Contubernium Tuæ probatæ
committitur institutioni,
Tuo Principi animo subditur, ut triumphet.
Ditâsti hoc eruditionis censu,
ut jam Pauperum sit solô nomine tantùm.
Detersisti tam ab intra, quàm ab extra ejus squalorem,
læta facie prospicit Te quòcunq; ieris,
didicitq; sub Te, qualem sibi optare debeat SENIOREM.
Bursam non reddidisti solicitudine vacuam,
dum munus generalis, Vniversitatis Syndici obibas,
tantâ industriâ, quantâ rarus simili.
Efferebas res Academicas supra Acrocorynthum,
publicam felicitatem Tuîs incommodîs emendo.
Manus dextra RECTORIS MAGNIFICI,
nil tale egisti,
quòd sinistrè opinari liceret,
Omnia adamussim exequens,
omnium laudem merebaris,
quam à nemine non habuisti.
Ardua negotiorum molimina activitate facilitâsti,
nullum erat tam obscurum,
quod Tuô solertî animô non penetrares,
nil magnæ experientiæ invium,
nulla causarum inaccessa Corynthus.
Publicum interesse privato præposuisti,
proprij oblitus commodi officium firmâ memoriâ tenendo.
Boni communis amantissimus,
Tui remisisti amorem,
illud appretiando, hoc vilipendisti,

imo

imo hoc paratus deserere, si illud in integro non fuisset,
elementa imitatus:
quæ propter bonum universi suum negligunt.
Exorientia dubia an veriùs ænigmata sphyngis
Te acutiorem mox repererunt Oedipum.
Non egebas consiliis uti senis Priami,
ipse Consus, ipse Priamus imperiô dignus.
Limitâsti Philosophorum doctrinam,
dum extra objectum professionis ferebaris,
& intra idem semper totus manebas,
multas laboris suscipiendo provincias,
quas cum gloria Gentis togatæ administrabas.
Juridicus Processus non erat extra sphæram virtutis Tuæ,
instrumentum Principalis Agentis,
sufficientem præhabebas virtutem.
Alia arena alios postulat mores:
calamus eruditus agilitatem mentis,
Peripati Stoa Stagyritam,
bellum generosos furores,
pax mansvetos animos:
Tibi quodlibet Ministerium occasio virtutis,
sed non nisi honestum;
turpiter enim nunquam obsequi potes.
quodlibet onus, cui pares supponis lacertos, monstrat:
quid Tui valeant humeri, quòd nil ferre recusent.
Invenit pietas in DEUM inter tantas curas locum,
& quidem primum,
non antevertisti eam, quæ in fronte ponenda,
prius reddidisti DEO, quæ sunt DEI, quàm Cæsari, quæ Cæsaris,
nihil reputans Scholasticam Lectionem,
sine spirituali,
nullius pretij, sine devotis precibus.
Animâsti ad perdiscendas artes,
non absq; studio pietatis.
Docebas sermonis elegantiam ab Eo quærendam,
qui præ Filijs hominum speciosus,

Floridum Stylum, à Flore Nazareno,
ligatum, à funibus Ejus,
cæſuras, à cæſo corpore.
Commendabas Logicales ſpinas,
non ſine ſpinoſo CHRISTI ſerto.
Jungebas Arbores Prædicamentorum ligno Crucis,
effectus ſcrutando, in primam eorum ferebaris Cauſam,
tam profanâ, quàm ſacrâ valuiſti oratione,
dubium tamen: à qua commendabilior extitiſti.
Addidit Tibi alas boni publici amor,
quibus jam Grodnam, jam Polonos Pariſios,
pro generalibus Comitijs volâſti;
Nuntium egiſti, ſed Mercurium,
qualem elegans depinxit ſvada,
Commiſſa negotia ſuū, non ſortiri non poterāt eventū,
Tuâ interveniente ſolerti diligentiâ.
nulla occaſio ea morari valuit,
Tuâ pertinaci ſolicitudine incitante.
In Legatione Grodnenſi,
orſus eſt Tuus fidiſſimus Achates aliā in Cælū legationē,
Clariſſimus olim & Excellentiſſimus Dominus,
D. M. GEORGIVS GREGORIVS
KOSTOWSKI,
Philoſophiæ Doctor, Matheſeos Profeſſor,
Collega Minor, &c.
Cui præter quod dimidium animæ fuiſti,
mediam partitus fuiſſes vitam,
ſi aliter bonum Univerſitatis animari non poſſet.
Enituit hoc deſiderium ad Veſuvium gliſcentem
Collegium Juridicum,
& cùm proximus arderet Ucalegon,
adfuiſti ſolamen mærenti emeritiſſimo Patri,
Perilluſtri olim & Reverendiſſimo Domino,

D.

D. M. ANDREÆ
KRUPECKI,
Juris Vtriusq; Doctori & Professori,
Canonico Cathedrali Cracoviensi, &c.
tantaq; certasti pietate erga Illum,
quâtâ Æneas, in Æthnam abeunte Troja, erga Anchisen.
Dedicit alienô exemplô Te æstimare
nimirum,
Perillustris olim & Admodùm Reverendi Domini,
D. M. MARTINI
OSLINSKI,
S. Theologiæ Doctoris & Professoris.
Collegæ Majoris, Ecclesiarum; Collegiatarum S. ANNÆ Decani, &c.
qui omnem suum censum, qui Ei de prædio laboris pendebatur,
censuit Tuis innocuis committere manibus.
& si Pythagoræ vigeret adusq; Metempsychosis,
in Te post sata commigrasset,
quanquam & sine hac vivit in Tuo corde superstes.
Temporibus veterum Sophorum si in vivis mansisses,
in Te summum collocâssent bonum,
sicq; minus peccassent,
dum ut tantùm Primatibus Orbis Literarij notus,
illico à singulis amatus.
Nec est cui displiceres,
Unicuiq; dando arrham amoris sistis Te aram,
in qua Tibi corda victimantur humana.
Iam meritis stratâ ad Collegium Majus venisti viâ.
Vicisti dexteritate animos Patrum,
hic triumphandum est.
Sed nondum triumphâsti Academicos labores,
qui, quò plures vincuntur, eò plures insultant.

immanis hydra sunt, quibus si unum amputaveris Caput,
longè plura repululant.
Herculeo hîc utendum robore,
sed tamen cum tempore vincendum,
qui nonnisi cum vita finiuntur, ipsi immortales victuri.
In Majori Domo, non minoribûs respersus sudoribûs.
Natura enim statutum est,
ut novus honor novum onus trahat,
& tantùm accedat curis, quantùm accrescit Dignitati.
Decanalis Murex gaudebat in exantlatis videri humeris,
& non tam Tyriô superbivit ostrô,
quàm ex mari jam eruditionis, jam sudoris conquisitîs cymeliis.
Annotâsti labores & diligentias,
sed Tuæ in primo reponendæ prædicamento.
Imperabas feliciter exemplô,
optima Tua actio fuit malorum censura, proborum doctrina.
In edito equidem positus,
Omnium in Te oculos collegisti,
et dum luce Majestatis afflabas,
obtutus simulq; animos ad Tui normam inflectebas.
Non ignotam rerum cognitionem alijs communicâsti,
Benè sciens, *minus eum videre, qui sibi solus lucet.*
Aristotelico-Thomisticam tradendo Philosophiam,
publicum de Te fecisti sensum,
quòd utriusq; exhausisti sapientiam,
quantus dicendus, qui duo Miracula cöegisti in unum,
Cursum non cursim percurrendo,
suspensô hoc est præmeditato ingenij motu gradiens,
gravitatem mentis in explicando servâsti,
quia levis esse nesciens.
Finem sine medio, nec medium sine fine attigisti,
ut pote sapientissimum Agens:
mutuam horum dependentiam confirmâsti,
quam natura continuò probat.
Extraditas Conclusiones Luci publicæ dedisti,
quas non decuit latere,
inconcussa dogmata effecisti,
Tua solida resolutione.

Quis

Quis ſub tanto Chirone non evaſit Achilles;
quoscunq; nactus es Diſcipulos dimiſiſti Magiſtros.
Incuſabat Auditor horas, quòd tam citò præterlabantur.
Gangetico pulvere menſurandam cenſebat,
quâ Te ex Cathedra Philoſophum auſcultabat,
moratus fuiſſet cum Ioſue Solem, ſi licuiſſet.
optabat ſuæ curæ horologia committi,
quæ pro ſuo arbitrio rotaret.
Veloces tempori alas velut papilioni amburere conatus,
ut teſtudineo graderetur paſſu.
Iviſti in Sacras exedras Divinus Præco,
nec adusq; in vitia hominum detonare ceſſas Pericles,
evincis virtuti honorem, & ſceleri fulminibûs
verborum incutis timorem,
minarum horrorem ita confundis deliciîs,
ut magis à Te argui, quàm laudari à cæteris peroptemus.
Inter trinæ Vavelli Coronæ Vniones gemmas es locutus,
eò præſtantiores:
quòd aureis inſererentur mentibus.
valorem ex Te ipſo habebant,
quibus à pondere rationum creſcebat.
Pôéta, Orator, Philoſophus, Theologus,
felix ingenium, quod tanta munera conjunxit.
Unꝰ homo es, & quis tot homines extitiſſe non miratur,
ſolus hæc omnia tenes,
& ſingula Te ſibi vindicant totum,
abſq; præjudicio alterutrius.
Pudeat dixiſſe quendam,
non omnia poſſumus omnes:
probet Ciceronem ſolutô Stylô ſuam ſculpſiſſe famam,
Maronem ligatô os populi pro libitu tenuiſſe,
Principem Philoſophorum ſolîs eruditîs vectũ circulîs;
nos Te unum vix nominamus,
hæſit ei vox faucibus intentusq; os tenet,
nec ampliùs inductione uti audet.
Noſti bene pretium Summæ Theologicæ,
Thomiſticus Titan non Tibi ecclipſatur,
E Agni

Aquinaticum æquor totum exhausisti,
nihilominus ad sobrietatem sapis,
omnia cum scias, hoc unum nescis,
ut Te aliquid scire cognoscas.
Stetisti primus in meta,
in Concursu de Beneficio Zarnovecensi,
illud in bravium comprehendendo,
Non pænituit reliquos stadiodromos conatûs,
quibus, qualiter sit currendum, exemplum fuisti.
Non cessit Tibi sorte quadam MATHIÆ,
quod Cælo disponente in sponsam accepisti,
Cui apertîs pro Te peroravit rimîs.
Annuêre Superi votis,
cum hunc pro Sponso habet,
quô melior esse non posset,
Filiam in Lany non sinis esse sine dote,
dum tam hanc, quàm Matrem totîs ferme,
redditibûs locupletas.
Accendis Prometheus igne Cælesti fidelium corda,
tepidam devotionem ardentem efficis,
Ipse zelô Honoris exestuans Divini,
hos, in quibus non est salus, maximè urendo.
In locum Synodalis Examinatoris constitutus,
hos approbas, quos nemo reprobaret,
tacendo & quæris, & Tuô factô respondes,
qui proventus, pro ornatu Sponsæ CHRISTI debentur.
Alias dum ventilas materias,
Tu cunctis prima laudis ades.
Profecit sub Te Scholastico Collegiata Curelovienſis,
scit se Tua de munificentia apparatu ornatam,
nec poterit unquam oblivisci,
dum Tuam beneficam manum rememorativâ habet.
His ergo gradibus ascendisti Theologicum pulpitum,
sed in humiliorem descendisti sensum,
Phæbi genium induens,
qui in meridie minor, quàm in ortu spectatur,
Cursum

Cursum S. Theol: Speculativum,
posthac Sacramentalem percurristi,
sed magna in animo Auditoris reliquisti vestigia,
quibus insistendo à via non aberrant salutis.
Controversum jam à tribus annis emetiris,
sed non sine victore passu,
tela Acatholicorum vel infringis, vel in ipsos retorques.
Lumen Fidei dum cum eorum tenebris confers,
etiam Tuum naturæ quantum sit, apparet,
ad quod noctuæ aut talpæ fiunt.
Non sunt sub rosa,
ROSEO Nomini,
Celsissimi Principis,
Illustrissimi & Reverendissimi Domini,
D. CHRISTOPHORI
in SLUPOW
SZEMBEK,
DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ,
Episcopi Varmiensis, Ducisq; Sambiensis,
dedicata Sacramenta,
quæ utrum Tibi novam produxerint gratiam,
vel augmentum præexistentis
dubium à Te ipso solubile:
apud nos est problema,
uti non ignorantes Te de omnibus extradidisse Theses,
quorum aliá productiva, alia augmentativa sunt.
Hoc tamen tanquàm certum supponimus,
quòd septem ostijs gratitudinis hic Sarmaticus Nilus in Te fluit.
Librum Conclusionum Philosophicarum,
Szaniaviano Agno,

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini,
D. JOANNIS FELICIS
in SZANIAWY
SZANIAWSKI,
DEI & Apoſtolicæ Sedis gratiâ,
Epiſcopi Chełmenſis,
Coadjutoris Archi-Epiſcopatûs Metropolitani Leopolienſis, &c.

quem in præſentia Hoſpitum ſolvere dignus eras,
hunc in Bibliotheca pectoris recondit.
In eruditis Jagellonicæ Palladis, quid valeas Caſtris,
jam lunaribûs, jam publicîs velitationibûs oſtendiſti:
in alienis eandem multoties monſtrâſti dexteritatem;
longè meliori fortunâ,
quàm Antonius, vel Julius;
qui alibi victores, in Ægypto lenociniîs victi,
Heroicus Alexandri animus Patriâ capi nequibat,
Bactris parvus imo nullus fuit.
Munus Procuratoris Generalis Vniverſitatis,
& Capituli S. FLORIANI acceptâſti,
ſed non ſine munere depoſuiſti,
quibus quanto emolumento fueris,
jam per totum Capitulum & Univerſitatem concluſum;
quæſtionem ſi quis ſuſcitat,
cummunis fama ſine controverſia dicet,
maximo.
Animâ rerũ (ordinẽ intelligo) ubi fuit mortua, ſuſcitâſti,
ſi vixit, ad nobiliorem elevâſti vitam.
Verè dicendus Procurator,
cui ſolicitæ nomen dedêre curæ.
Induſtriam in plurimis inſtrumentum appellâſti,

re

re ipsa probâsti,
Dum vix non extra Objectũ virtutis humanæ ferebatur,
pulcherrimam prænominationem fecisti,
ut quoties optimus nominatur,
Tu intelligaris.
Debet Tibi multum Præses Literarum,
Cujus Cultoribus stipendia (Borcanas intelligo] pendi solita
jam planè sepulta resuscitâsti.
animâsti studentium mentes hac cote
ut Tuæ studerent gloriæ,
studebunt,
eruntq; Marones dum Tu gratiosus non desis Mecænas,
Levant suis de cineribus Capita pijssimi Fundatores.
& si velis attendere quantas agunt gratias
dum Tua solicitudine sua intenta sortiantur finem.
admittunt Te in Comfundatorem
non ignorantes,
quòd non magis est quærere, quám parta tueri.
Asylum eruditarum mentium Bibliothecam Collegij Majoris
cum sua immunitate conservas,
mutos Magistros loqui facis,
in meliorem redigendo ordinem.
Hinc quantus in Te Literarum amor vigeat,
postera mirabitur ætas.
Abit in coronamentum Tuum,
qui Tuæ quondam accessit disciplinæ,
PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMVS DOMINVS
D. M. HYACINTHVS
ŁOPACKI,
Phil: Medicinæ & S. Theol: DOCTOR
CANONICUS Cracoviensis,
Ecclesiæ B. V. MARIÆ in Circulo Crac:
ARCHIPRESBYTER,
Virtutis Idea, Sacerdotum norma & exemplar.

qui tantùm Te DOCTORE profecit,
quantùm ejus ad ſtuporem eruditio declarat.
Suffecit Platoni unum habuiſſe Ariſtotelem,
Alberto Magno Angelicum Doctorem:
Tibi Sapientiſſimo Chironi comparem Achillem.
Quid enim prodeſt multos è Muſæo dimittere,
qui iterum redire deberent,
plures numerare Diſcipulos, & nullum Doctorem.
Cedit in Tuam Coronam Gemma Doctorum,
Muſarum delicium, Sceptrorum decus,
Orbis Literarij prima Motrix Intelligentia
Magnatum magnes,
PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMUS DOMINUS

D. M. MARTINUS WALESZYNSKI,

S. Theol. DOCTOR & Profeſſor,
Canonicus Cathedralis Cracovienſis,
Univerſitatis Cracov: Procancellarius,
Cui Tua Virtus à tenero ungue nota & æſtimata,
pretium ei defert, quod meretur.
Paterno Te proſequitur affectu
Cui filialî præiviſti.
Theologica Daphnide Tuam circumdat frontem,
quam priùs merita ampliſſima circumſtabant
Et hinc
inferre velis Perilluſtris Domine Neo-DOCTOR,
quanta propenſione velut agmine facto in Te ruant alij,
quibus hic anteſignanum agit,
quem ſi quis ſequi nollet, totô Cælô erraret.
Librum Virîs quadratîs deſcriptum
Academiam hanc imaginare,
cujus locupletiſſimum indicem habes
Perilluſtrem & Reverendiſſimum Dominum;
intuere Hunc,

&

& quid in Codice hoc præstantissimo agatur, videbis.
Auget plausum ex Te Ipso maximum
Clarissimus Nobilis ac Spectabilis Dominus,
D. NICOLAVS
ZIĘTKIEWICZ,
In Alma Universitate Crac: Phil: Doctor,
Consul Vrbis Metropolitanæ Russiæ Leopol:
FRATER Tuus Germanus,
Vir omni probitate hôc ipsô major,
quòd minor videri cupit.
Plurima laude digna facit,
Consiliô tamen CHRISTI, servum se inutilem putat.
Agit extra Delphos in arduis Tripodem,
consiliô potens,
veriora Delio augure pandit Metropoli responsa.
Gemini estis nobilioris Ledæ Tyndaridæ,
certare pares & respondere parati.
Splendetis luce propria in diverso horizonte semper ijdem,
ecclipsim pati nequaquam potestis,
quia nunquam Vobis oppositi.
Theologicâ nihilominus circumdari debes Coronâ
Perillustris Domine Neo-DOCTOR,
Quæ Tuum Sapientiæ ambit fulgorem.
Hæ ergo sunt Præmissæ
THEOLOGICI HONORIS
nudè sunt positæ,
quas natura uon sinit esse ornatas,
probari non indigent,
quanquam ex Tuis laudabilibus factis media forent;
cum prima principia sint,
ex ipsis terminis clara.
evidentiam habent ex Quæstione de FIDE.
quam ita promptâ decidisti memoriâ
ut non unus in admirationem raperetur,
F2 dumq;

dumq; hoc extra refertur,
non statim fidem meretur.
Habent claritatem
à Visione Beatifica,
quam ab obscuritate oppositorum argumentorum
in conspectu Magnorum Hospitum vindicâsti;
Ex his itaq; Præmissis fluit Tibi directè
CONCLVSIO THEOLOGICVS
HONOR,
quem nolis velis acceptare teneris.
Velle & nolle non est ampliùs in Tua potestate,
Homo esse desinis, quia liber.
Liberum quidem erat
esse sapientem, virtuosum & emeritum,
sed quia honesta non agere non potes,
cede juri Tuo,
Theologico illud cede Honori,
suæ originis memor,
simile Divino exercebit dominium,
effectum se Tuæ sapientiæ & meritorum noscet,
Te principium radicale admittet:
sapientiam & Merita, proximum;
utrumq; Causam totalem;
quæ dum in duas Præmissas abit;
se Conclusionem ex illis fatetur
illatam.



